

JUS GENTIUM

METHODO SCIENTIFICA

PERTRACTATUM,

IN QUO

JUS GENTIUM NATURALE

AB EO, QUOD

VOLUNTARIUM, PACTITIVUM

ET CONSUETUDINARIUM EST,

ACCURATE DISTINGUITUR.

AUCTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

Potent. Suecor. Regis, Hassiæ Landgravii Consiliario Regiminis, Mathematicæ ac
Philosophiæ Professore Primario in Academia Marburgensi, Professore
Petropolitano Honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiæ,
Societatumque Regiarum Britannicæ atque Borussicæ Membro.

EDITIO CÆTERIS ACCURATIOR, ET NITIDIOR.



FRANCOFURTI, ET LIPSIAE,
MDCCLXIV.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

CELISSIMO ET SERENISSIMO
D. WILHELMO CAROLO
HENRICO FRISONI
ARAUSIONENSI ET NASSOVIO PRINCIPI &c. &c. &c.

Totius Fœderati Belgii Gubernatori Hæreditario, Armorum Terra Marique
Præfeto Supremo, & Indiarum Orientalium Rectori Perpetuo &c. &c. &c.

D. LONGE CLEMENTISSIMO.



*Ternum illud ac immutabile Jus, quod ipsa natura
constitutum est, omnes regit actus sicuti singulorum
hominum, ita etiam Gentium, præscribendo officia cum erga se
ipfas,*



JURIS GENTIUM PROLEGOMENA.

§. 1.

Per *Jus Gentium* intelligimus scientiam juris, quo Gentes, sive populi inter se utuntur, & obligationum eidem respondentium. *Definitio Juris Gentium.*

Nimirum docere intendimus, quomodo Gentes qua tales actiones suas determinare debeant, & per consequens ad quamnam Gens quilibet tum sibi metipsum, tum aliis Gentibus obligetur, & quamnam hinc nascantur *Jura Gentium*. cum

respectu sui ipsius, tum respectu aliarum Gentium. Nascuntur enim *Jura* ex obligatione passiva (§. 23. part. 1. *Jur. nat.*), ita ut, si nulla esset obligatio, nec *Jus* ullum foret (§. 25. part. 1. *Jur. nat.*).

§. 2.

Gentes spectantur tanquam personae singulares liberae in statu naturali viventes. Sunt enim multitudo hominum in civitatem confociatorum (§. 5. part. 8. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitates spectandae sint tanquam personae singulares liberae in statu naturali viventes (§. 54. part. 8. *Jur. nat.*), Gentes quoque inter se spectandae sunt tanquam personae singulares liberae in statu naturali viventes. *Quomodo Gentes spectanda.*

Consideramus nimirum hic Gentes, quales origine sua sunt, antequam una alteri ad certas praestationes libertatem civilem, quae populi est, diminuentes sese obligavit, vel facto si-

ve suo, sive alieno alteri cuidam genti subiecta sit. Libertatem enim Gentium, quae originarie ipsis competit, tam tolli, quam diminui posse, ex inferius demonstrandis patet.

§. 3.

Quoniam Gentes spectantur tanquam personae singulares in statu naturali viventes (§. 2.), in statu autem naturali homines non utuntur nisi *Jure naturali* (§. 125. part. 1. *Jur. nat.*), Gentes quoque originarie non alio utuntur *Jure* nisi naturali, consequenter *Jus Gentium originarie non est nisi Jus naturae ad Gentes applicatum.* *Quale sit Jus Gentium originarie.*

Natura non datur *Jus* hominum aliud nisi naturale, quod deinde facto hominum, eodem non invito, per pacta inter singulos quoad ea, quae sunt juris permissivi, & quoad praestationem eorum, quae humanitatis sunt, immutari potest; in civitate autem vi potestatis legislativae, quemadmodum in theoria legum civilium naturali (c. 4. part. 8. *Jur. nat.*) ostendimus. Similiter natura non datur *Jus* Gen-
(Vulgo *Jus Gentium*.)

tium aliud nisi naturale, seu ipsum *Jus naturae* ad Gentes applicatum, quod deinde facto Gentium, isto non invito, quoad ea, quae sunt juris permissivi & quoad praestationem eorum, quae humanitatis sunt, immutari potest, prout videbimus in subsequenti tractatione. Absit autem, ut existimes, propterea non esse opus; ut de *Jure Gentium* sigillatim agamus. Alia enim sunt principia *Juris naturae*, alia vero est